



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri  
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

**Sadoleto, Jacopo**

**[Francofurti], 1607**

XV. Jac. Sadoletvs Cardinalis Ioanni Hurtado Mendozæ S.P.D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

XV.

IAC. SADOLETVS CARDINALIS  
Ioanni Hurtado Mendoza S. P. D.

IACOBYs, & Martinus Monachi Hispani, duo (quantum ego ex breui cum illis sermone perspicere potui) religiosissimi, & egregie prudentes, cum a superiore usque India in nostras regiones, ad eundem conuentus causam, qui ipsorum ordo in Italia indictus est, se conferrent: mandatum sibi ab te esset exierunt, ut hac haberent iter, mihi que salutem tuis verbis dicerent, & de tua erga me insigni beneuolentia narrarent: quam quidem non solum ex eorum sermonibus testimonioque cognoui, sed ex tuo erudito & perleganti carmine, quod ad me misisti, aliquando etiam luculentius. Vidi enim & perspexi ex ipso poemate tuo, & quam ingenio vales, quamque sis liberalibus artibus instructus, & quantum me, quantum tibi de facie minime cognitum, diligas. Quorum alterum facit, ut tu & mea, & omnium beneuolentia dignissimus merito iudicere: de altero ego tibi antea habeo magnas gratias. Non enim mediocrem animi voluptatem capio, cum sentio, me a tali viro, qualis es tu, & probari, & diligere. Quod si me non indignum his studiis, quibus uterque nostrum deditus est, existimas: debes hoc tibi persuasissimum habere, me non concessurum tibi esse, ut in amando sis superior: sed quod & communis humanitas, & mea natura imprimis postulat, & omnia me facturum, si oblata fuerit occasio, quam obrem tu de me erga te voluntate non minora indicia habere possis, quam ego habeo de tua. Quare, quod iidem Monachi mihi exposuerunt, cupere te quandam tuam lucubrationem a me perlegi, & meum de ea iudicium tibi indicari: vtinam quidem aptus sim ad id prestandum quod tu requiris. Sed certe quicquid in me est vel ingenii, vel facultatis: ethi est exiguum, tamen ita tibi totum promptum & paratum est, ut eius ad tuum omne arbitrium reuocandi, & quocumque libuerit tibi, conuertendi, summam habeas potestatem. Hunc ego animum cum nobilitati debeo & praestanti virtuti tuae, tum ipsi praecipue amori, quo iam tibi in perpetuum sum deuinctus. Vale. Carpentoracii, X V I I.

Calend. Aprilis, M. D. XLI.

IACO-